



The Holy See

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAESURREPTIS MISEREIMAGO SACRAE FAMILIAE, IN
BASILICA ASSUMPTIONIS INTRA FINES**

DIOECESIS VLADISLAVIENSIS SITA, PRETIOSO DIADEMATE CORONATUR Ad perpetuam rei memoriam. –

Surreptis misere nuper impieque pretiosis corollis, quibus videlicet Sacrae Familiae Nazarethanae enitebat simulacrum in Basilica ipsa Assumptionis Beatae Mariae Virginis apud locum «Kalisz» vulgo nuncupatum intra dioecesis Vladislaviensis fines, nihil sibi citius agendum censuit Venerabilis Frater Ioannes Zareba loci eiusdem Praesul sacer nihilve certius providendum quam ut, impetrata Sedis Apostolicae facultate, rursus impositis illius modi novis sertis eadem demorenderet imago. Quandoquidem ipsi Nos probissime quidem novimus quo in honore habita semper illo sit effigies quoque culto celebrata, dum pari acerbitate sacrilegum deflemus furtum, rem studiose petitam concedendam prompte item esse arbitramur. Collatis igitur rite consiliis cum Sacra Congregatione pro Sacramentis et Culto Divino, precibus ita admotis ab Episcopo Vladislaviensi obsecuti libenter hisce litteris atque auctoritate Nostra apostolica committimus partes eidem quem memoravimus Fratri Venerabili ut imagini Sacrae Familiae, quam venerantur in Basilica Assumptionis Beatae Virginis Mariae dioecesis Vladislaviensis, pretiosum diadema Nostro nomine imponat secundum ritus formulasque praescriptas. Hoc scilicet pacto et decus liturgicum reddetur loco illi ac simulacro et novum etiam fidei populo addetur incitamentum unde aucta pietate eandem Familiam Sacram excolant suumque in commodum spiritaliter invocent. *Datum Romae, apud S. Petrum, die II mensis Martii, anno MCMLXXXIV, Pontificatus Nostrisexto.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright 1984 - Libreria Editrice Vaticana
